

exhibitum, aſt priora oriebantur sympto-  
mata.

Hinc erat ilico in hac ægra ab hoc  
remedio abstinentum, & ad alia iterum  
recurrendum.

#### EXPERIMENTUM V.

**J**Uvenis viginti aliquot annorum, jam  
a pluribus annis sævissima epilep-  
fia laboravit.

Causam mali ignorabat.

Paroxysmus eum quotidie quater,  
quinquies, sexies aut septies subito in-  
vasit, isque semper per medium horam,  
& ultra duravit.

Vires inde debilitabantur, mens fie-  
bat hebes, facies tota tristis & me-  
lancholica.

A nullo remedio hucusque leva-  
men habuit.      B 4      De-

Dedi igitur ter quotidie granum dimidium extracti Stramonii.

Hac dosi per quatuor dies utebatur æger, verum nullam inde mutationem percepit.

Dedi dein ter quotidie granum integrum.

Unde paroxysmi fiebant minus frequentes, mitiores, breviores.

Sensim mens reddebat ferentior, facies hilarior, & loquela liberior, quæ antea difficilis erat & impedita.

Vigesimo die dedi quatuor grana.

Morbus dein erat adeo mitis, ut per diem tantum unus alterve levis paroxysmus adverteretur.

Corporis vires auctæ sunt, & omnis melancholia sensim disparuit.

Trigesimo die dedi quinque grana.

Tri-

Trigesimo primo die bini tantum leves paroxysmi observabantur.

Trigesimo secundo & tertio die æger penitus liber fuit.

Trigesimo quarto die tereum morbus invasit, & multo vehementius, quam die trigesimo primo.

Trigesimo quinto sextoque die æger bene se habuit, appetiit, fuit hilaris.

Trigesimo septimo die bis convellebatur fortiter.

Trigesimo octavo die tres leves paroxysmi observati sunt, qui tantum per unicum momentum durarunt, & sub his mens non est turbata.

In procedentibus vero paroxysmis semper delebatur memoria, & omnis sensatio.

Trigesimo nono die liber fuit æger.  
Dedi eodem die sex grana extracti  
Stramonii.      B 5                  Hac

Hac dosi continuavi adhuc per integrum mensem , & æger erat fere curatus , tunc autem remedium mihi defecit , & erat tempus hyemnale , quo parari non poterat.

Hinc experimentum , quod optime cessit , erat interrumpendum.

Suasi : ut alia interim sumeret remedia , verum quum ei has pilulas amplius dare non potui , renuit omnia.

---

## CAPUT II.

### DE HYOSCIAMO.

**H**Abet hæc planta radicem crassam , rugosam , multifidam , foris fuscam , intus albam , constat foliis mol-